

plena virtutibus fovebat et cum
plenebatur spiritualiter Ipsa an
te mulieres omnes scitate prece
lente: puto quod intelligit quod aia
necit. Nam alie quidem partes gra
tiam meruerunt. ipsa autem plena
gratia ab angelo salutata. **Hec an
telus. Oratio.** Illuc uirga uesse
florida et fructifera maia uir
go beatissima. de qua uincit ille
et singularis flos et fructus pro
dit. in uirtutum spiritualium genere eru
pit: flos suauissimus emittens
odorem: fructus sapidissimus in
mitens dulcorē. flos cuius uoi
tate expellit mestitiam: fructus
cuius sacietas uenenam dat letitiam
Benedicta uirga de radice uesse:
uincit uis et flos: quod de tali ra
dice ascendit. Benedicta arbor ben
dictus et arboris fructus. Tuo er
go flore me reuere: tuo fructu
ab omni miseria me libera: uirgo
maia in eternum benedicta. amen.

De receptioe iohannis bap^{te} Ca. iii

Vit autem in di
ebus illis. factus
in diebus hero
dis regis iudee.
sacerdos quidam
noie sachaias
de beth abia: et uxor eius noie

quantum ad obseruanciam ceremonialium:
sine querela. quantum ad obseruanciam
iudicialium: quod pacifice se ad proxi
mos habebant. Et non erat illis
filius propter stilitatem: quod est causa
specialis mulierum. Ex quo apparet
receptio percursoris miraculosa: quod
non fuit tantum per naturam: sed per
naturam gratia diuina adiuta. **I**
ste herodes de parte ydumeo de
cendens fuit alienigena: et iam cep
trum ablatum fuit de iuda: et
ideo tempus aduentus christi instabat: quod
iacob patriarcha spiritu prophetico sig
num aduentus christi prederat. quod reg
num iudee ad alienigenam translatum
esset dicens. Non auferet ceptrum
de iuda etc. **E**t sciendum est hic
quod cum moyses uincit instituisse su
mum sacerdotem. cui mortuo unus per
ordinem succederet: dauid uolens im
plere cultum domus domini. de xxiiii fa
miliis que descenderat ab aarone in
stituit uiginti quatuor sacerdotes: su
per quos unus maior erat et su
mus omnium: quod dicebat princeps sac
dotum. Instituit etiam ut uicissim mi
nistrantes per ebdomadam a sabbo
usque ad sabbatum tempore uias sue
singuli castimoniae student: nec
interim in domum propriam intraret:
sed in domiciliis circa templum

ms. 001A

alte Nr. 352.

Calixtus, Gg. mit

Sammlung mit insges. 67 Disputationen
philosophischen Inhalts, darunter sind
einige mathematische.

Herman. Conringus
c. 15. 15. c. XL.

F. III. 6.

25
27
31
41
57
61
71
81
91
101
111
121
131
141
151
161
171
181
191
201
211
221
231
241
251
261
271
281
291
301



24

ἀγαθὴ δαίμων.

DE MAGICIS ACTIONIBVS
EΞΕΤΑΣΙΣ
SVCCINCTA:

SENTENTIAE
IOHANNIS BODINI IVRE-
consulti Galli opposita:

DOCTISSIMO PHILOSOPHAN-
tium confessui In illustri Iulia ad dispu-
tandum publicè

proposita:

à

MARTINO BIERMANNO
Ascaniensi:

Respondente

IOHANNES A PETKVM
Hamburgensi.



HELMSTADII
Excusa per Iacobum Lucium, Anno 1590.



Handwritten text at the top of the page.

DE MAGICIS ACTIBUS
NIBVS EFFATAZ
SACRINATA

SENTENTIA
IOHANNIS BODINI IURE
CONSULIS GALLI OPPIDANI

DOCTISSIMO PHILOSOFO
TUM CONSULTO IN ILLUSTRISSIMO
SACRAN PUBLICO

MARTINO BIERMANNO
MAGISTRO


RESPONDENS
IOHANNI A PETRAM
HAMBURGENSE



HELMSTADII
Hactenus per Jacobum Luchum Anno 1590



REVERENDISSIMO ET ILLV-
STRISSIMO PRINCIPI AC DOMINO, DN. HEN-
RICO IULIO, Episcopo Halberstadenſium, Duci Bruno-
vicenſium & Lunæburgenſium, Domino ſuo
clementiſſimo.

 Ffero tibi, Princeps Illuſtriſſime, hunc de Magicis
diſcuſſum præceptoris mei: conciſum illum iuxtà ac
diductum. Fuſior enim eſt, quàm pro modo eorum,
quæ ad diſputationem ſolemne adducuntur: quæ
minutis quæſtionibus, ac veluti punctis proponi conſueverunt.
Parcior autem multò eſt, quàm cauſa poſtulat ipſa, quæ contra
Iohannem Bodinum diſceptatur. Is cùm ſcripto accurato & diſ-
ſerto de Magorum Dæmonomania diſſeruiſſet, variis variarũ
diſciplinarum, variorumq; in ſingulis autorum, principiis & ra-
tionibus, non paucis etiam obſervationib. particularibus, ex ſe-
miſſe quidem ſuis ipſius, ex ſemiſſe verò aliorum, ſubnixus &
ſubleuatus: tum ſingulari ſcripti auclario, quæ Iohannes VVie-
rus de præſtigiis Dæmonum prolixè ac ſtudioſè congeſſerat, per-
ſtrinxit ac confutauit. Quanquam autem ego, vt de alterutro
autore cenſoriam virgam mihi ſumam, fas non eſſe ducam: hoc
tamen è præceptore meo auditum libenter cõmemoro: VVierum
dum ſubiecto talium mutationum plus ſatis tribuit, Magica tã-
tum non omnia, omninò dicere naturalia: Bodinum verò, princi-
pio mouenti externo nimium deferentem virium, ad quæ ad-
mittere plurima. E quibus ea, quæ potiora & planè enormia eſ-
ſent, excerpta, & expreſſis obeliſcis hoc in tractatu confoſſa ſunt:
reliqua verò, quæ leniora ſunt & exiliora, occultis generalium
B 2 aſſero



assertionum & demonstrationum sunt damnata calculis. Nec
sanè plurib. ad publicam disputantium coronam accedendum: nec
pauciorib. cum Bodino seorsim agendum simul & semel videba-
tur. Itaq; breuitatem conditio rei præsens; dilatationem necessi-
tas cause tutabitur. Quanquã ego suspicer ac prorsus persuasum
habeam, præceptorem meum summis hisce capitib. *ixvovgaφίαν*
exhibere plenioris operis, quod eadem de re ipse meditatur. Me-
mini enim, cum sermo incidisset, iterum iterumq; eum dicere, non
modò cum Bodino & inquisitoribus hæreticorum, qui anicularũ
voculis plus debito fidant, sed & cum Alberto Magno, Thoma,
Petro Pomponatio, aliisq; Philosophis, qui rationem sectentur,
questiones istas transigendas esse: seq; istud negotii suscepturũ,
vbi paulum otij naetus esset, & rem aliis gratam fieri intellexis-
set. Sed de argumento satis. Offero autẽ tibi, Princeps Illustriss.
hoc quicquid est opusculi: atq; vt Celsitudini tue obseruantiam
meam & animi gratitudinem declarem, offero. Complures iam
annos sub Celsit. tue tutela benignissima, optimis literis in alma
Iulia tua incumbo: & non solum vniuersalibus immunitatibus
& priuilegiis perfruor: sed clementiss. tuo Patrocinio in dubia
quadam causa singulariter steti & seruatus sum. Nunquam
illius promeriti summi memoria ex animo meo elabetur. Accipe
igitur benignissimo vultu hoc quaecunq; animi grati indicium,
& tuã Iuliam, meq; illius alumnum, quo cœpisti auspicio feliciter
rege, & fove. Bene & feliciter vale. Helmstet. Prid. Idus Ian.
An. clj lxx.

Tue Celsitud.

subiectissimus seruus

IOHANNES A PETRVM Hamburg.



THEOREMA I.

AD Physicam considerationem reducuntur motus & actiones magicæ.

II.

Quamquam enim in his, quod primum ac verè mouet, non omninò sit considerationis Physicæ: per hoc tamen non stat, quin & ipse in se motus (vt alteratio, vt motus localis) & subiectum quod mouetur, sint considerationi naturali subiecta. Quæ de re monet Arist. 2. Phys. tex. 71. & 73.

III.

Sed nec id quod mouetur, modo naturæ suæ consentaneo, vt plurimum afficitur, sed *παρὰ φύσιν* & violenter. Attamen cum violentum præsupponat id, quod secundum naturam est (vt patet ex Arist. 5. Phys. tex. 57. & 58) eodemq; consideratione reducatur: motus magici per reductionem in naturalibus constituendi sunt.

IIII.

Nec firma est ratio: Si formæ abstractæ à Metaphysico demum cognoscuntur: motus etiam quem illæ excitant, Metaphysico addicetur. Nam cum Metaphysicus formas istas agnoscat esse motores æternos: Physicus easdem admittit, vt motores æternos. Atq; hic quidem vt principium in sua scientia; ille verò subiecti loco. Vnde Metaphysicus scit, Quid sint abstractæ formæ. Physicus solum, Quod sint.

V.

Qui verò Tactum, Locum & Motum extra naturæ rerumq; naturalium sortem condunt: præterquam quod multitudinem Entium temerè augment, etiam rationem suam ita emancipatam Phantasiæ produnt, vt nisi quod materiata res repræsentet, complecti animo nihil possint.

VI.

Inquies: Nonne intelligentiæ, quem mouent singulæ orbem tangunt? At non tactu, sed virtute mouent formæ istæ purissimæ: vt & anima corpus suum. Tactus autem est illorum, quæ simul sunt extremitatibus suis: hæc corpora sunt, in partes resolubilia.

VII.

Pertriturum autem est, formas circumuolutes cœlum, & animam agitantem corpus per accidens saltem, subiecti ductu moueri. Inde au-

tem qui concludere possis de motu per se spirituum in aëre diffusorum,
equidem miror.

VIII.

Sed misso hoc sit quaestio: An incorporea per se moueantur. Negat
Aristoteles, negat ratio. Quod enim mouetur, diuisibile est, & parte sui
hæret in termino vnde fertur: partim etiã in termino quo fertur: quia
potentiam habet actui coniunctam. At quod indiuisibile, quod incor-
poreum est, quibus partibus derimetur?

IX.

Tum verò, vt dem, indiuisibile moueri: mouebitur ergo per spa-
cium, aut seipso minus, aut sibi æquale, priusquam maius emetiatur.
Sed quid erit indiuisibili minus? Iam si primò per spacium æquale,
itemq; per aliud æquale, porrò etiam per æquale, quoniam singula sunt
indiuisibilia, omninò per quod motus fit, spacium illud totum erit ex
indiuisibilibus constatum. Ita scilicet continuum ex indiuisilibus erit
compositum.

X.

Adhæc in motibus istis momentaneis, quinam erit primus, reli-
quorum canon? quod erit tempus primi mensura motus?

XI.

Sunt tamen, inquires, angeli aliàs hîc, aliàs isthic. Sunt, inquam, sed
sine motu ac mutatione. Vt enim ea, quæ apta sunt nata in loco esse,
tantũ mutant locum per motum localem: Sic è diuerso, quæ non sunt
comparata vt sint in loco, sunt quidem illa hîc illicq;, & non sunt, absq;
motu tamen & mutatione. Documento sunt lumen & species visibi-
les, quæ momento existunt in aere sine motu, sola præsentia corporis
lucidi aut aspectabilis.

XII.

Sed de Magia triplex quaestio disceptatur: An sit: An talis sit: Pro-
pter quid talis sit. Ad quarum explicationem nominis prænotio af-
ferenda est.

XIII.

Magus hodie dicitur, qui ex fœdere factò, vitur diaboli opera ad
rem quamcunq;. Eodem vsu sumitur vocabulum *Φαρμακία* & *Φαρ-
μακία*. Nec contentiosè agendum est de vocibus, quæ non demon-
strationis vi, sed placito arbitrioq; hominum valent. Saga verò est mu-
lier, quæ commercium habet cum dæmone.

XIV.

Esse autem Magos, præter autoritatem sacrarum literarum, omni
exce-

An sit
via

exceptione maiorem : Plinius omnis antiquitatis promuscondus fidis-
simus, disertè ac pluribus locis affirmat. Quin & hodie vulgata est de
Magis oratio.

XV.

Sed difficillima est explicatio, an Magia sit talis : hoc est, quæ de Ma-
gis perhibentur, an verè sint, qualia iactantur.

XVI.

Quæ autem de Magis memorantur, varia quidem sunt, possunt ta-
men his ferè capitibus distingui. Aut enim ipsis accidunt Magis : aut à
Magis deueniunt ad alia. Prius genus quandam passionem : posterius
actionem subindicat. Et quæ ipsis contingunt Magis, aut ad animum,
aut ad corpus illorum pertinent. Quæ ad animum, aut sensum inter-
num, aut externum attingunt.

XVII.

Cum ergò Diabolus in id vnum sit intentus, vt hominum genus
errore seductum, in æternum præcipitet exitium : nemini dubium esse
potest, quin animis Magorum variis technis insultet & illudat. Quod
facile effectum est ei, qui nec spacio locove coercetur, nec dimensione vl-
la excluditur, quo minus animum hominis penitus subeat. Maximè
autem illorum animos inuadendi ius & potestas ipsi permissa est, qui
præsidio diuino se subducentes, sua in castra transferunt, illisq; sacra-
mento se astrinxerunt. Horum animos ille per vim occupat & agit.
Cæterum cum mens ipsa immediatè decipi pati q; nequeat, prima
quaq; arte veterator phantasia obsidet, quæ, vt mentem vanis conce-
ptibus intruat, aptissima, vt corpus spiritu percieat, potentissima est.
Ita verò eam obfirmat, vt ne quem facultati æstimated, rationiq; sa-
næ, de iis qui ipse persuasit, iudicandi relinquat locum.

XVIII.

Hinc per quietem somnia mouet prodigiosa, quibus volare, cœtus
Magorum frequentare, complices agnoscere, comestationes & tripu-
dia celebrare, aliaq; peragere videntur sibi homines dementati : quæ
& ipsa expergefati (vt est a mentia) pro veris constantissimè asseuerat.
Quam vt rem perficiat, adiumenta quædam sumit è natura. Nam &
soporiferas inunctiones imperat, & cibos præbet flatulentos, ad susci-
randum fouendumq; turbulenta somnia pollentes, apium, cepas, fabas,
Phaseolos & alia.

Quo

*An talis
sit.*

*De his
quæ ipsis
Magis acci-
dunt.*

De somnia



XIX.

Quo minus autem ista somniorum generatio mira alicui aut impossibilis iudicetur, quid per naturam fieri doceant Philosophi, considerandum est. Per somnū certum est quædam apparere, quæ euenerint, à nostris tamē sensibus & cogitatione remotissima, etiam quæ ad Borysthenem, aut ad columnas Herculis (vt loquitur Arist. lib. de Diuinati: per somnium) gesta sunt. Horum profectò principium in nobis minime est, quia nec è sensu nec è memoria extiterūt: est tamen aliquod per se principium, cum neq; casu, neq; rarò, sed multis obtigisse historiæ testes sint. Habent ergo ortum ab ipsis rebus externis, quarum indicia sunt: ita, vt ab his motus quidam & sensus pertingat ad animas somniantes, ne quidem commotis instrumentis sensuum externorum. Quid enim per quietem potius quàm per vigilias apparerent, si per sensuum organa illaberentur? Porro autem tam velox sæpe est animi motus, vt multæ suboriantur imaginationes, quæ si non satis animaduertantur, ab iis quæ sensa sunt defecisse, pro veris putentur proferanturq; , cum falsæ sint. Quod tùm in somniis crebrò, tùm delirantibus & Melancholicis, qui celerem habent imaginationem, creberrimè vsu venit. Quòd si ergo per naturam fieri monstratur, vt res, quæ longissimè remotæ, nulloq; sensu compertæ sunt, imaginationem citra sensum externum moueant, & somnium excitent: quid si imaginum formatrix causa ipsi animæ intestinè adsit? nōne simulacra, nōne somnia impresserit? Et si falsa somnia & animi concepta enarrantur vt vera, quoties phantasia æstimatoriam motu præcurrit: an non pro verissimis referentur ea, quibus præter motus celeritatem, etiam violentia impulsionis in animo accessit?

XX.

Sed pergo. Nunquam ego potui illorum capere rationem, qui animos Magorum extra corpora abripi, & ad Panegires suas ferri asseruerant: illamq; emigrationem nuncupant ἐκστασις. Enimvero cuius animus expatiatus est, eritne corpus illud viuum an mortuum? Si viuū dicatur: ergo animatum est, quod anima vacat. Si mortuum: quid impedit mortuos resurgere, quando & illorum anima egressa est? Nec est quod occurras: in corporibus ἐκστατικοῖς superesse facultatem recipiendi animam reducem, quæ nulla sit in cadaueribus. Quænam ea potentia est? Dicas calorem vitæ modiperatorem; nec sanè dicere aliam possis.

Animas magorum non emigrare.



possis. Est enim calor vltima dispositio corporis ad animam: idemq; est
vinculum animæ cum corpore. At non potest calor iste nec momentum
perdurare, cum sit *πρῶτος*, nisi in momenta, veluti flammula regeneretur.
Et quia *ὁμοειδῆ* calore genitum oportet, cum ipse sit non solum
animæ vector, sed & minister, omninoq; ita animæ addictus, vt nec hæc
sine illo corpori inesse, nec ipse sine anima vlllo perfungi munere possit:
à quo generandus est, calorem illum ab anima adiutum instructumque
esse oportet. Quis autem talis erit in corpore, à quo anima abiit? Addo
& hoc: non posse calorem, quem dixi, foueri sustentariq; sine pulsu &
respiratione. Quid verò, absente anima, ciebit ista? Nec obieceris Apo-
plecticos & mulieres, quæ vtero præfocantur, aliosq; qui sine respira-
tione vitam trahant. Quid enim illis vnquam decessisse vitæ potuit, qui
in vitam redeunt? Quod si vita non defecit: ergo nec *ἐνέργεια* vitæ:
quin imò vita animalis est ipsa animæ *ἐνέργεια*, in pulsu & respiratio-
ne vigens. Ergo non potest anima integra secedere à corpore viuo in-
columiq;. At si *τὸν ὄν* solum euagari dicas, relicta anima sentiente &
vegetante, id quod volebas, minimè explicatū reddes, causam *ἀνοουδης*
σίας in corpore, præsentem animam sentiente. Quin nec alterum quod
intendebas, ratione constitues, notationem locorum, personarum, plu-
rimarumq; singularium & materiatarum conditionum, quas referunt
ex profectioe sua Magi: quas mens à materia seiuncta non intelligit.
Deniq; si menti comitem itineris adiungas sentientem animam, hæc
quomodo sine subiecto corpore, cuius est actus, subsistet? quomodo si-
ne organis appositis operabitur? Præterea autem dic, quæso, si anima
sit vsquam à corpore profecta: si corpus in integro restet domi: vnū-
ne an duo erunt *ὕψιστάδρα*? Quidni duo sint, quando vtrumq; per
se subsistet? Quomodo autem essentialiter vniri & coalescere possunt,
quæ per se subsistentia actuq; diuisa, nullam sui mutationem subeunt?
Actus certè actui non vnitur, nec subsistentiæ subsistentia.

XXI.

Pulchrè tamen contrà venis: Animam hominis immortalem esse, &
propterea separabilem: itemq; animam à corpore liberè subsistentem
operantemq; esse immortalem. Vera, inquam, hæc sunt ad animam, nō
ad animatum adducta. Subsistere potest anima hominis sine corpore
animato, non potest autem animatum corpus esse sine anima.

B

Vis



XXII.

Vis ergo dicam, quod sit *ἐνζωσις*? Est Aristoteli lib. de Diuinati, per somnium, sensuum externorum ad interna conuersio talis, vt nec passio corporea motusq; externus percipiatur, & virtus imaginatrix ab operis domesticis feriata, concipiat & tractet peregrina & sublimiora quàm pro captu sensuum. Est verò Medicis vehemens animi perturbatio, qualis in Mania. Autor est Gale 3. in 3. Epid. & 1. Porphet. 6. Itē Theophrastus lib. 9. de historia plant. cap. 13.

XXIII.

Negat porrò Bodinus, posse soporiferis medicamentis tam profundum induci stertorem, quem ignis cuti admotus non excutiat. Negat? Atqui idem mox affirmat eam narcoticorum vim, quæ somno deuinctos nec triduū dimittat. An ergò triduanus hi, dum sensus sepulti sunt, euigelaerint? an dolores senserint?

XXIV.

Nec miraberis, optime, si *ἐνζωσις*, quos vocas, indicta statutaq; hora restituantur. Nihilo id certiori argumēto est ab itioni animæ, quā fingis: quàm somno, pharmacorum natura provocato, somniorumque ludibriis à Dæmone cōformato productoq; deniq; ab ipso fabulæ actore, cum libitum esset, abrupto & finito.

XXV.

Equidem demiror seplasiarium Iureconsultum, de forma & vsu vnguenti soporiferi differentem. Pinguia, inquit, sunt calida. Ergo vnguentum istud non infert soporem. At non accidentalis seu vinctuosa forma, sed substantialis, quæ in temperamento confidet, è basi confectionis nata: hæc, inquam, somnum generat. Adduntur autem pingua, vt inungi, inunctumq; tenacius inhære & agere possit. Nec verum est, vulgo quod putatur, quæ ad somnum stuporemq; cogunt, frigida esse omnia. Indicant hoc opium, crocus, stirax, vinum, cicuta, coriander, quæ calida cum sint, vaporosa & indigesta plus minusvé humiditate spiritus ligant. De vsu verò vnguenti quærit, cur dorso, brachiis, cruribus potius, quàm fronti illinatur. Quid verò? si toti corpori, nõne etiam fronti? Et eò quidem corpori vniuerso, vt stuporem nervis inducat eum, qui nec verbera nec inustiones moretur. Quanquam quid prohibet opinari, accuratam istam delibationem (vt alia) fucò fieri? Nam & sine vnguentis visi sunt Magi aliiq; scelerati, certorum fiducia verbo-

verborum, acerbissima tormenta indolenter sustinuisse *ἀνδραγαθῶς*,
quodam animi, sed *παρὰ φύσιν*, quo spiritus ligarentur, & ne ad par-
tes excruciatas confluant, coercerentur, à diabolo obstupescati.

XXVI.

Sic Magi somniant. Sed & vigilantes variis eluduntur phantasma-
tis, ut efficere & videre sibi videantur, quæ nulla sunt.

XXVII.

Non possunt autem Dæmones verum induere corpus, quo sen-
sui fiant evidentes: quia in sempiternis nihil accidit novi: nec potest
transformatio ista fieri sine alteratione, à qua formæ separatae maximè
sunt immunes.

XXVIII.

Quicquid autem huius sit, quod apparet, visum decipi posse certum
est. Neq; enim solum species & figuræ rerum externarum oculis susci-
piuntur: sed & à Phantasia similes sponte effinguntur, tanta quidem
vi & euidetia, ut & foras ad communè sensum, inde ad oculos redundet.
Sic pueri auditis *μορμολυκείῳ* faciem occultant, quod species horren-
da, ab impotentiori Phantasia efficta, iam in oculis sit. Itaque per-
stringi possunt oculi imagine, a sola phantasia suppeditata. Est
& alia fraus Phantasiæ in oculos, ad quam tamen obiectum exter-
num conspirat. Nam si quid imaginatio singulare aut dirum con-
ceperit; si qua foris incidat species, quæ utcumq; aut etiam nihil respō-
deat conceptui; hanc suo domesticoq; figmento conformem ipsa tum
arripit, tum iudicat. Adhæc quid mirum circa figuram, quæ est com-
mune sensuum obiectum, oculos hallucinari? Quare substituto corpo-
re quocunq; (si præsertim Phantasiæ sit illud) oculos de figura per-
verse iudicare contigerit. Quod si qualitas seu lineamenta figuræ ocu-
lis non recte fuerint diiudicata: multo minus eadem dignoscantur ta-
ctu, qui solum continuum & discretum in figuris notat.

XXIX.

Omniò autem maxima vis est phantasiæ ad errores: quod illorū
exempla satis declarant, qui affectu, aut morbo præpediti sunt, aut qui
æstimatiuam parum integram constantemq; habent, à quibus falsissi-
ma & ineptissima cogitantur & effutiuntur. Quod si hæc ab archite-
cto omnis erroris fuerit oblecta, quæ non absurda monstrosaq; commi-
niscetur & profitebitur. Quid ergo mirandum, si Magi suis viribus ef-

B 2

fecta

*varia Phan-
tasmata et
vigilantiu*

*Dæmones
non posse
inducere ve-
rū corpus.*



secta prædicant, quæ aut nunquam euenerunt, aut longè aliis princi-
piis prouenerunt?

XXX.

Iam verò corpore dicuntur Magi exportari per aerem ad loca re-
motissima; concumbere cum spiritibus impuris; unde Ephialta & Hyphi-
alta incubi & succubi nominantur.

XXXI.

*Ha corpora
magorum ve-
re per aerem
quando fran-
tur.*

Quamquam autem antea demonstratum sit, somnium esse, quod
de profectioe ad sua comitia narrant Magi; propterea quod dormi e-
visi sint, quo se abfuisse tempore profitentur: tamen corpora Magorum
in sublime abripi, *ἀνὰ πύρινον* non est, sed violentum tantum. Tanta n.
potest esse externi motoris vis, ut etiam contra, quam propensum sit
mobile, loco impellat. Hinc grauissimæ moles impetu ventorum, ali-
quando per aerem feruntur. Cum autem motus violenti pendeant à
potentia materiæ absoluta, quæ est ipsa materiæ essentia: quodcunque
corpus per vim abripitur, obseruabit conditiones materiæ coniunctas.
Hæ autem sunt, quæ ad quantitatem, coævam materiæ sociam perti-
nent. Hinc corpora ista, quantumuis concitatissimo, tamen in moram
protracto motu, per spacia item æqualia, & sine penetratione dimen-
sionum aliquò duci necesse est.

XXXII.

*De concubitu
dæmonum.*

Quod de concubitu Dæmonum cum Magis fertur, plus quàm va-
num est. Quid enim commiscerentur spiritus, siue inter se, siue cum ho-
minibus, qui nec moueri nec alterari possunt? Quæ autem esset libido
generandi in illis, quorum genus nec numero singularium diminui, nec
multiplicari potest? Quòd si τὸ Πνεύμα ἅγιον istud cadit in spiritus,
quomodo aberit τὸ Ἰσχυρὸν? quomodo autem vtrumq; erit sine or-
ganis accommodatis? Corporei ergo spiritus fuerint. Veruntamen
gaudent impurissimi genii impuritate hominum, ad eamq; vi & frau-
de adigunt. Animo enim iam dementato lasciuam suggerunt speciem,
tùm affricu pruritum excitant, quibus agitati spiritus tanquam cæstro
exæstuant. Cum ergo soli pruriant Magi, & sint animo malè sani, nihil
illorum confessio aliud confirmat, quàm se aliquid passos esse: at quo-
modo passi sint, ratio & fides nulla erit.

XXXIII.

*De his
quæ à Magis dicuntur
exerceri.*

Dehinc videnda sunt ea, quæ à Magis dicuntur exerceri in alia. Ho-
rum

rum quædam ne quidem fieri possunt : quædam fiunt quidem, sed alias ob causas : quædam ab ipsis Magis verè perficiuntur.

XXXIV.

Primi generis sunt : Detractio aut obscuratio syderum, suspensio terræ : Item transformatio vera, aut vnus animalis in aliud diuersæ speciei, vt hominis in lupum, felem, asinum : aut animalis in inanimatum vt hominis in lapidem : aut inanimati in animal, vt virgæ in serpentem. Hæc, si à Deo discesseris, nullius causæ vi effici possunt. Et quoniam Bodinus de Metamorphosi in vices, modo hominis in felem aut lupum, modo lupi & felis in hominem grauitè contendit : illius problematis momenta in singulis causarum generibus ponderabimus.

XXXV.

Materiæ vim primum expendemus, in qua omnis potentia passiuæ est. Duplex ea potentia est, vna absoluta & indeterminata, altera verò definita & certæ formæ destinata. Illa quidem ab essentia, hæc ab existentia materiæ profluit. Hinc duplex statuitur materia, prima & proxima. E prima materia nihil generatur. Quod enim generatur, est hoc vel illud : prima autem materia neq; ad hoc neq; ad illud est aptata, sed omnium capax. Est verò necessaria obseruatio materiæ primæ, tum vt essentia ipsius materiæ constet, vt tum vniuersalis ratio omnium in natura mutationum explicetur. Inquies : An non omnes formæ educuntur è materia prima, eidemq; inhærent ? Rectè sanè. Actus enim, qui suam in se perfectionem obtinet, pati aut recipere nihil potest. Idcirco sola materia, quatenus materia recipit. Sed tamen vt certa forma recipiatur, adesse oportet materiæ certam conditionem & dispositionem : non secus ac lumen in aere recipitur, sed nõ sine hac conditione, vt aer sit *Alc. Dav. 15.* Quare è materia prima nihil generari potest : educuntur tamen è gremio ipsius (hoc est ex ipsa materiæ essentia) omnes formæ, verum hac lege, vt apparatus certum habeat, quo iam euasit materia proxima. Quòd si ergo è proxima materia res generantur, profectò vt temerè alterum ex altero, & quoduis nascatur è quouis, fieri nequit. Nam qui possis materiam dicere proximam aut propriam, si non ex ea certò aut definitè res oriatur ? Quomodo autem verè aut certò affirmare possis, hanc rem genitum iri ex illa, nisi suam quæq; & propriam materiam habeat ? Sed quid est quod materiam facit proximam ? Omnis sanè determinatio est à forma. Neq; verò solum formæ accidentales,

quoniam alia fieri potest ne generatur, vt.

Transformatio vera.



les, vt quantitas, vt qualitas, materiam ita præcultam reddunt, vt ad certam formam substantialem recipiendam sit facilis & accommodata: sed multo magis ipsa, quæ in materia iam subsistit, forma substantialis. Huius enim ope & accidentia, & materia ipsa consistunt & determinantur. Sic non solum quantitas & qualitas, sed potissimum forma substantialis aquæ est causa, vt ex tali materia generari possit vapor. Et à forma substantiali præcipue est ea facultas in semine, vt ex ipso nõ autem è lapide & ligno nascatur animal. Quare ex illa demum materia ortum ducere res quæq; potest, quæ per formam substantialem præparata sit ad certum effectum. Vide autem quid nostra velit ratio. Quod à forma est, specificum est, & tale quod est, aut perpetuum aut frequentissimum est in singularibus. Quare ortus mutuus non potest esse nisi inter res certarum specierum. At verò ex homine fieri lupum aut felem, specificum non est. Ergo ne quidem per materiam, cuius in omni generatione prima est habenda ratio, fieri mutatio ista potest.

XXXVI.

An ergò per formam? Multo minus. Nam actus quilibet definitus est, & definitum exposcit subiectum: *ἀλλὰ μὴ εἶδ', ἀλλ' ὕλη.* Quin imò suum quæq; forma definit subiectum. Hinc præter omnem rationem à Bodino dictum est: spiritum & rationem hominis integrã, in corpore & figuram bruti consistere posse.

XXXVII.

Sed in viribus efficientis omnem rem Bodinus collocat. Videamus quid sit efficere. Est, inquam, actum producere: id quod fiat oportet ab actu, & quidem eiusdem speciei seu vnivoco. Quomodo enim Musicus extruxerit domum aut sanauerit? Ita autem efficiens conuenit specie cum eo quod fit, vt aut nihil in se diuersum habeat ab eo, quod fit, vt cum ignis ignem, homo hominem generat. Aut etiam aliud quid contineat, quàm illud quod fit, cum eo ipso tamen includat aliàs totam rationem eius quod fit, aliàs partem eam, ad quam tota ratio sequi possit. Sic homo statuam cõstruit per artem, quæ est tota statuæ ratio. Sic motus excitat ignem per caliditatem, quæ aut tota ratio est, aut talis pars, ad quam ratio ignis sequi potest. Age verò Dæmones vt mutationem hominis in lupum, aut lupi in hominem efficiant, actumne habent, qui aut vtriq; aut alterutri quod mutatione nascitur, similis sit?

Mini-



Minimè. Tantum enim abest, vt Dæmon & homo aut lupus simpliciter conueniant specie, vt æternum & mutabile plus quàm genere seiuncta sint. Nec possis ullo iure animalis rationem assignare spiritibus, quin mortalem iisdem naturam attribuas. Pars autem ea, ad quam sequitur tota ratio animalis, est corpus potentia vitam habens, seu organicum. Id verò formis abstractis è diametro opponitur. Quocirca si quam Dæmonibus vim efficiendi concedas sine actu, qui similis sit ei, quod fit, vltra quàm possint, agere eos dixeris. Nec causaberis vim diuinam in permutandis rebus omnibus: nec etiam licentiam à Deo concessam diabolis. In Deo enim cum sit omnium rerum ratio eminentissimè, omnia potest, omnia quæ vult agit. Permissio autem Dæmoni facta, est causa priuatiua, quæ formaliter nihil ponit.

XXXIX.

Inscitè admodum & profanè colligis, Bodine, Magos Aegyptios easdem res fecisse cum Moyse, id est, baculos in virgas vertisse, & ranas produxisse: & vt Moysen, ita & Magos nihil per illusionem fecisse. An enim par est ad agendum virtus Dæmonum & Dei præpotentis? An finis vtrobiq; fuit idem? & operibus Moysis veris non fuit confirmandum mandatum diuinum ad regem, de dimittendo Israelitarum populo? & verò præstigiis Magorum non fuit facilis elusu rex, vt, quod antè statuerat, populum vi retineret? At dicuntur in sacris vtriq; (ais) easdem res fecisse. Atqui solum, quod in sensus incurrit, factum, nec *to 1/2 est* facti exponitur. Nimis autem crasse addis: si Magorum serpentes meri fuissent baculi, deuoratos Moysis serpens non fuisset digesturus. Nimis hoc dedisti crassum. Quæ enim intraculo fiunt diuino, num ad naturæ modum sunt iudicanda?

XXXIX.

Nec etiam huc facit, quod de Nabuchadonésare & vxore Loti transformatis inferis. Nam vt de Babylonii regis exemplo nihil disputem, an non mera fuerit animi ægritudo: illud simpliciter assero, quæ diuina vi præter naturæ leges fiunt, à Magicis lusibus esse toto genere separanda.

XL.

Vnum restat explicandum. Ait Aristoteles 7. Metaphys. tex. 23. & 31. In iis quæ tum ab arte, tum à natura fiunt, quædam existere casu, dixeris ergo, si non causis per se, tamen casu transformari animalia. Verum

U. Bodin

1.

111.



rùm non dicuntur Aristoteli illa casu orta à quibus omnis definita causa abfuerit : sed quæ sine externa effectoris commotione , interno quodam principio sponte feruntur ad finem. Id declarat Aristoteles exemplo sanitatis, quæ non solum Medici opera fit , sed & spontaneo humorum motu. Declarat etiam exemplo illarum rerum , quæ in natura *αὐτόμαλον* habent ortum è colluue. Inest horum materiæ calor virtute cœli excitatus , quo illa non aliter ac semen , calore animalis perfusum, suo pte nutu ad formam proruit. At in corpore animalis nullum est eiusmodi principium, cuius continuo & ordinato motu , aut ad formam animalis diuersæ speciei, aut ad formam inanimati , ipsum perducatur. A quo enim agente externo principium istud primò defluerit ? Profectò si quid huius esset, facilius foret è semine hominis conformatio, lupi aut felis, quàm è corpore perfecto absolutoq;

XLI.

Sed quid tandem de *λυκανθρωπία* , ac similibus *μεταμορφώσεσι*, tantùm celebratis, decernis ? Describit Arist. 7. Eth. cap. 1. & 6. *θηριότητα, υπερβάλλουσαν τὴν ἀνθρώπου κακίαν*, quæ appetitum hominis in beluinum conuertit , exclusa aut peruersa ratione. Huius triplicem causam notat. Alia enim est *ἀφ' ἀμοχθηρῆς φύσεως*, quando natura humana in beluinam degenerat. Ea est quarundem gentium feritas , quæ nudo incedunt corpore, palant in syluis , vescuntur carnibus crudis, etiam humanis, exhibent epulis suos liberos. Alia est feritas genita morbo corporis : vt in grauidis, vitio humorum sæpè excitatur desiderium abominandorum ciborum , calcis , picis, terræ . & in Melancholicis ac Phreneticis è tēperiei corruptione motus oriuntur ferini, & ab homine sano alieni. Alia verò est feritas, praua consuetudine contracta. Sic Cleomenes Spartanorum rex, è longa cum Scythis helluatione eò feritatis peruenit , vt suos sibi artus detruncaret ferro. Quid prohibet, quartam his addi causam? sæuitiam diaboli, qui impios quidem omnes ad dissolutam vitam deducit, sed quorum animos per vim tenet, eos ad facinora, non solum humano, sed & beluino appetitu terriora impellit. Talem immutationem hominum nos in Sarmatiæ prouinciis (de quibus magna *λυκανθρωπιῶν* fama est) obseruauimus , non figuram aut formam, sed appetitum humanum exuentem. Reliqua autem quæ de Magicis rerum conuersionibus circumferuntur, aut nunquam visa esse ; aut si qua visa sint, non rem videndam, sed oculum videntis, fascino fuisse ob-

se oblatus: aut si inuiolatus perstiterit oculus, rem videndam subdole
fuisse subductam, aliamq; illius in locum substitutam, planè asseuera-
mus.

XLII.

Alterius porrò generis res, quoniam verè fiunt, causam per se &
principem habent, Naturam aut voluntatem hominis.

XLIII.

A natura sunt tempestates, morbi & sanationes morborum, gene-
randi facultas, ferarum & noxiarum bestiarum abactiones aut placationes:
voluntate hominum conciliantur amicitia & dissidium.

XLIV.

Quæ autem à Magis eas ad res adornantur, etsi nullo ordine nul-
laq; vi ad effectum concurrunt: tamen vano signo & falsa imagine,
quod factum futurumve est, quandoq; adumbrant. Talia sunt cha-
racteres, imagines cereæ, aut quacunq; è re confectæ: carmina: ora-
tiones: laudationes: imprecationes: intuitus infensus: corporis gesti-
culationes: ligaturæ: herbæ per certa loca dispositæ: liquorum & pul-
uerum innoxiorum, siue in aerem siue in terram dispersio: lapides re-
trò iacti: herbæ aut aliæ res decoctæ: defossa in terram ossa, pili, alia.

XLV.

His nullo modo præstari ea, quæ sibi persuadent Magi, rationes de-
monstrant sequentes. I. Principia definita, quibus res in natura secun-
dum essentiam suam mutantur, sunt anima nutriens & elementa: cœ-
lum autem vniuersalis causa est. Et anima quidem mutat res & gene-
rat per calorem animatis insitum: elementa autem per qualitates pri-
mas, quibus summis prædita sunt. Temperamenta verò, quæ refra-
ctis qualitatibus elementorum nata sunt, alterandi facultatem tantum
obtinent. Quòd si ergò solis his principiis mutationes naturales per-
ficiuntur: characteribus, figuris, orationibus, & carminibus, corporis
variis gestibus, nulla agendi efficacia tribuenda est. 2. Non agunt pro-
miscuè res quælibet inter se nec patiuntur: sed illa demum, quæ gene-
re seu materia conueniunt, specie dissident. Vnde apparet, quæ corpus
temperie mutât, animi affectû primò inducere nō posse: nec animi affe-
ctum vnius, corporis noxâ creari alteri. 3. Nulla fieri potest actio sine cō-
tactu, quo ipsa iritatur actio. Et quoniã agunt quædam per mediû, quæ-
dam sine medio: etiã contactus rerum aut mediatè aut immediatè fit.
Ergo quæ in terram aut sub limine defodiuntur, quæq; hic illic dispo-
nuntur, nisi manifestam aut venenatam qualitatem emiserint, præter

C

gressis

*Quædam tie
si asserunt ve
re sed ob alia
causas.*

*Quædam à
Magis in se
prouentur,*

*sed nulla via
ad effectum
habentia.
Id probatur
I.*

II.

III.

gressis officere nequeunt. Multò autem minus quæ ad multa miliaria
a Magis parantur, absentibus possunt esse noxæ. 4. In agentibus &
patientibus, nisi sit proportio virium, effectus non sequitur nouus, sed
quod imbecillius est, destruitur & conuertitur in naturam validioris.
Quare aqua quæ profunditur à Magis, sufficiens non est, vt resoluta in
vapores generet pluuiam. Nec pulueres & liquores noxii, quacunque
sparsi, cuius obuiò inficiendo sunt. 5. Cum nihil vnquam factum sit,
quod fieri non potuerit: cumq; potentia passiuæ vnus materiæ & sub-
iecti patientis propria sit: certè ut effectus erumpat, ad quem patiens
aut seipso expeditum non fuerit, aut ab agente expediri promptè non
potuerit, impossibile est. Imò ad exortum cuiuslibet formæ, potio-
rem partem confert materia: cuius è sinu illa conuenientissimè enasci-
tur. Quod quidem de forma, quæ κατ' ἐξιν inhæret, potissimum intel-
ligatur: ad αἰτίαν enim eam, quæ est ἐν τῷ πῆ, qualiscunq; facultas sub-
iecti, etiam indefinita, aliquando satis est. Quod si ita se habet, nullum
in corpore morbum, nullamq; mutationem, sola externi motoris im-
pressionem, & sine omni corporis ipsius propensione insitaq; labe gene-
rari existimandum est. 6. Voluntas humana agit excitata cognitione
& liberè agit.

XLVI.

Soluitur
767. !.
Quod si excipias, actionem, qua de negotium est, Magicam esse, &
propterea minimè astringendam legibus naturæ: nihil est. In qua-
stionem enim venit, an modo & necessitati naturæ eximèda sit. Et cum
effectus ipse sit res naturalis: cumq; etiam id, quod à Mago subordina-
tur agens, aut sit corpus naturale, aut res secundum naturam: quidni
actio ipsa ad canones & statuta naturæ reuocanda & æstimanda sit?

XLVII.

II. Sin vrgeas potestatem Dæmonum perficiendi cœpta Magorum,
longè etiam secus, quàm naturæ cursus ferat: tantundem est. Equidem
diaboli vim maximam non nego: facultatem euertendi necessitudi-
nem causarum & effectorum naturalium abnego. Quis enim ordinem
naturæ mutauerit, qui non idem conseruauerit? Non potest igitur si-
ne certis & legitimis causis vllus in natura effectus, ne quidem Dæmo-
num conatu prouocari. Sed vt est astutia simul & violentia, plurimis
nouerunt modis agentia adiungere patientibus: tum vires agentium
ita aggrauare & exacuere, vt solito celerior & grauior prodeat effectus.
Idem, quoad Deus indulserit, abutuntur natura in perniciem hominis
alia-

aliarumq; rerum. Quocirca Dæmones, vt sine medijs naturalibus rem
in natura quamcunq; conficiant, irritum est: vt immediatè alterent &
passionem inferant, ab ipsorum etiam substantia alienissimum.

XLVIII.

Sed in rem præsentem veniamus, & quibus singula, quæ diximus,
causis per se existant: quæq; Dæmonum in illis subsidiaria opera, Ma-
gorumq; histrionica sit, excutiamus.

XLIX.

Tempestates, pluuias, grandines, fulgura, tonitrua, certum est vir-
tute cœli & elementorum excitari. Est tamen quod Dæmones non-
nunquam (Dei permisso) materiæ motum promoueant, ac dirigant,
disgregatas exhalationes cogant & ita componant, vt sæuissima ingra-
uescat tempestas: quam ipsam etiam detorquent in exitium hominum
& iumentorum, deturbationem ædificiorum, calamitatem agrorum.
Est etiam quod nulla suppetente vaporum copia, aeris confractu frago-
rem, compulsiq; nimbos concitent. An enim mobilissimum aerem
turbare, & per vim agitare integrum non esset his, quibus grauissima
corpora in altum subducere, & per aerem impetu auferre non est ope-
rosum? Hinc non videtur præter omnem fidem esse, quod de Lappis &
Finnis memoratur, qui ventos secundos precio vendât nautis. Quorum
in obsequio cum sint Dæmones (maxima enim est in septentrionalib.
barbaries & idolomania) si res ad superstitionem confirmandam fa-
ciat, ipsi aerem haud difficulter à puppi impulerint. Atq; adeò cum
præuident & signis prænotant Dæmones, quid possit naturâ, aut suis
ipsorum viribus in aere geri: interpellant Magos, vt hæc illæue parent.
Vbi succedit euentus, de suo artificio hi gloriantur.

*examinant
singula.*

L.

Morborum autem origo omnis è natura est. Quod verò Hippocra-
tes in morbis diuinum celebrauit, proceres nostri magna ex parte in
aere ambiente cœliq; motu reponunt. Mirum ni de causa interna, quæ
in morbis sæpenumero incognita est, accipi possit: vt in Epilepsia, Ma-
nia, neruorum affectibus, febribus diuersorum generum, in morbis Epi-
demiis & hæreditariis obseruare licet.

LI.

Nec possunt Dæmones vllum infligere morbum, ad quem nec cor-
pus animalis prouum paratumq; fuerit, nec causarum externarum
C 2 (quas

(quas medici rebus non naturalibus inscribunt) insultus accesserit. Id verò possunt vt τὰ περιγύμνα τοῖς περικαταρληκτοῖς singulari sæpè modo euocent & exacerbent. Hinc alimentis & pabulis admiscunt φθοροποιά. Hinc occasionem præbent eundi per loca, putridis & virulentis halitibus scatentia. Hinc venena ipsi prostituunt, quâ hominibus pecudibusvè via est, quibusq; in locis cõmorandum est. Quibus rebus in corpora intromissis, aliàs humorum putrefactio, certarũq; partium corruptela sequitur: aliàs spiritus vitales inflammantur, & aut σβέσις repentina, aut μαρasmus lentus inducitur: aliàs maligna & mordax qualitas impingitur neruosis partibus, vnde intolerabiles cruciatus. Sic pulvis ille, quem Bodinus à saga sparsum scribit, potuit primum quemq; trãseuntem inficere.

LII.

Quæritur, quid impediatur, quo minus multi aut omnes veneficiis oblati capiantur? Certè aliquando tótus ferè grex læditur: aliquando pauci: aliquando ne quidem is, cui intentatum erat malum. Nec excludimus δεικνομίαν Dei: sed & propinquiore causam quærimus. Vna est diuersa constitutio corporum εὐπαθῶν ἢ δυσπαθῶν. Altera est diuersus modus, quo maleficium ad hunc illumve pertingit. Aliquando enim vis venenatæ auræ si non prorsus, certè plurimum dissipata fuerit, vnde transeunti securitas. Aliquando Dæmon in quem potest, omnem vim veneni ingerit: ita fit, quodcunq; in corpore erat iniuriis expositum, illud vt afficiatur.

LIII.

Quæris porrò: Quod à Dæmone traditur Mago venenum in manus, vt alicubi deponat, cur non ipsum qui primò fert, Magum potius corripiat, quàm alium qui postea incidit? An causam videor iam dixisse? an illud præterea est, quod monet Dæmon, vt caueat? an ἀκεξίφάρμακον addit? an arcet ab hoc, impellit in illum? Quid hæres? Mirus est ludio: quæ potest, innuneris ostentat modis.

LIV.

Vt autem sectatoribus suis, quos scit nocendi cupidos, sed impotētes esse, obsequatur, aliquando his venena exhibenda tradit: vt plurimum solum persuadet, si quem ipse morbum siue sponte, siue suo etiam subsidio futurum, vel etiamnum factum animaduertit, vt certa quædã apparent; quibus illi, quicquid euenerit, acceptum prorsus ferunt.

Vetu-



L V.

Vetulæ solo intuitu putantur nocere. At quid est, quod ex oculo erumpit, vt maleficiũ pariatur? an spiritus? Mirum si ab hoc abesse possit species obiecti visibilis, cuius gratia ad oculum mittitur. Aut igitur hanc secum ducit foras. Nonne sic turbatur visio? ac imago oculo cõcepta exolescit? Nec qui egressus est, ad oculũ reuerti possit spiritus, quẽ oculo, aut vultui lædendo impressum oportet. Quid? si hic recipitur in oculo violando etiã alterum in oculo violante recipi par est, vt visio vtrobiq; fiat. Quomodo aut̃ oculus contrariis motibus dum emittit simul intromittit? Quomodo visio aut̃ alieno spiritu perficitur in oculo proprio, aut proprio spiritu in oculo alieno? Aut ergo foris demũ suscipit speciẽ. Ista quomodo perueniet ad oculum? Vbi ubi speciẽ receptam velis, vetulam istam præsentẽ obiecto videndo, oculo sano, intentis spiritibus nihil videntem feceris, imò videntem excæcaueris. An verò halitus est pestilens, qui è vetula effluit? Is non oculi, sed oris, sed totius corporis defluuium est, malignæ & putridæ qualitatis particeps. Non igitur intuitus sed contagium lædit.

LVI.

Persuasio est, quæ persuaso forsan attulerit incommodum. Nam qui vetulam extimescit, dum malè compositum vultum intuetur, à quo sibi metuit malo, id sua sibi cogitatione conflauerit: si præsertim seminarium illius aluerit. Nec enim leues sunt motus spirituum & humorum, qui intensa imaginatione excitantur. Qui cibum sibi fastidiosum videat ab altero comestum, etsi non oderetur, sola imaginatione adigitur ad vomendum. Et sæpè quæ aspectu vel auditu molesta sunt, animi vsq; defectum inducunt. Pueri quoq; baculo percussi, & sæuo vultu territi à vetula, in morbum incidunt, qui vulgo est fascinati creduntur. Quare non spiritus exitiosus ex oculis vetulæ effusus, sed pusillanimitas & pavor aspicientis, si quid aliud, morbum inferre potest. Quod verò lippus oculus intuentem lippire facit, causa est mobilitas oculi: qui vt species rerum externas suscipit, susceptisq; conformis fit (est enim actus sensationis ipsum sensibile obiectum in esse immateriato:) ita si à perturbato oculo moueatur, ipse quoq; perturbatur, humoribus alicunde auxilio spirituum accersitis.

LVII.

Nec aliam ob causam probatur, quod ex Isigono Plinius lib. 7. hist.



natural. cap. 2. annotauit de Triballis & Illyriis quibusdam, qui visu ef-
fascinent interimantq; , quos diutius intueantur, iratis præsertim ocu-
lis. Quòd si à natura tributum illis est, in temperamento materiali
(quod vocant) quod peculiari fluxu materiæ nascitur, sitû sit oportet.
Sed quæ in materia & temperie insunt, natura non omninò celat, sed
expressis signis tam in vultu, quàm in reliquo corpore delineat & præ se
fert. Id enim nisi esset, nulla ratione & certitudine niteretur Physiono-
mia, quæ è lineamentis & figura externa, coniecturam facit de tempe-
ramento & ingenito hominis more: quam profecto scientiam nemo
prudens despectui habuit. Cæterum quod fronti cuiuslibet & vultui
impressum est, simul atq; diligentiori inspectione fuerit obseruatum, sit
nescio quo modo, vt singulares motus in animis nostris excitet, quibus
aliàs ad amorem, aliàs ad metum, aliàs ad commiserationem, aliàs ad
aliam cupiditatem rapimur. Quid enim est, quod vel primo aspectu
nos admonet, vt alium fauore, alium odio dignum iudicemus, etsi mo-
res non sint explorati, nisi illud ipsum quod in temperamenti naturæq;
recessu penitiori abditum, ipsa in facie graphicè emicat? At quæ rara,
quæ eximia sunt in materia, quomodo natura dissimulauerit? & pro-
palàm visenda non proposuerit? Quomodo autem istorum contempla-
tio magnos motus animo intuentis non incusserit? Itaq; quos Plinius
refert, illorum in vultu dirum quid natura efformarit (quod & Plinius
binis oculorum pupillis insinuat) cuius intuitu, metus & consternatio,
tantaq; spirituum ad cor compressio facta sit, vt, perseuerante inspe-
ctione, cor angustia opprimeretur, & prohibita euentatione prorsus suf-
focaretur. Hinc iratis oculis nocuisse, quia maior tum esset truculen-
tia: hinc puberes interemisse, qui distinctius quàm pueri, quæ in vultu
essent, colligerent, à Plinio perhibentur.

LVIII.

Memoriæ etiam proditum est de familiis quibusdam in Africa,
quæ si rem pulcerrimam impensè laudarent, pernitiem moliantur. An
omen dictis illorum adfuerit? & non eò, quòd laudaretur, res interie-
rit, sed quia interitura esset, ideò laudaretur? Nec enim disatendum
est, esse qui supra, quàm humana percipit acies, futura præuideat: pro-
pterea quòd illorum animus, initia rerum, quæ euenturæ sunt persen-
tiscant. Nec ita multæ sunt subersiones regnorum, urbium, familiarū
præcipuarum, quæ prædictiones suas non habuerint. Itaq; isti rerum
flore-

florentissimarum quæ non modo hominum, sed ipsius naturæ inuidiæ sunt expositæ, interitum iam instantem prælagierunt. Sed cur res illas prædicarunt? An more hominum fecerunt, qui ea, quæ obierunt, commendant? itidem ipsi quæ obitura essent. An quod expressè laudarunt tacitè deuouerunt?

LIX.

Incredibilia ferè sunt, quæ de cultris, clauis, tigillis, è uiuis hominum corporibus, demortuiq; ventriculo exectis commemorantur, quæ Magicis fortibus immisia existimantur. Censent quidem, illa dum searentur, supposita esse a Dæmone, astu obtutum oculorum anteuertente: idq; ob profanam de maleficio persuasionem ab ægro, illisq; qui ægro adfuerunt, conceptam. Nisi forsan credas, in defuncti quidem stomachum, per vulnus patens (is autem cultro sibi fertur abscidisse guttur) aut etiam per fauces fuisse ingestos cultros, ligna, alia &c. In uiuentibus autem post longam humorum aut flatuum certa in parte appulsionem, qua non solum intemperies orta est, sed & partes dissolutæ sunt, non sine acerbissimo dolore: aperto tandem ulcere, eiectoq; pure, quâ datus est meatus, arte Dæmonem immisisse cultrum aut clauum. Ego quod affirmem non habeo. Vtcunq; res sit gesta, fraus certè adfuit, qua diabolus uoluit opinionem hominum de se singularem confirmare.

LX.

Neq; verò minus sanationes morborum, si quæ Dæmonum opera fiunt, mediis & auxiliis naturalibus instituantur. Nam & causam arcent noxiam, quæ forinsecus siue vltro, siue ipsorum compulsa irruit: & salutaria vndecunq; *Bonâque*, quibus blandè demulceatur & alteretur malum, corpori subministrant. Quæ cum ipsi subito & affatim parent: sanationes celeriter ac præmaturè absoluuntur.

LXI.

Non est prætereundû Theophrasti Paracelsi institutû, sanandi vulnera obligatis tantûmodo armis. Quod ita fit. Paratur linimentû ex iis, quæ dira etiã & superstitiosa sunt, ex sanguine & adipe humano, ex situ qui cranio humano aere & tempestate innascitur, ex macerata item carne humana, aut fanie demortui corporis conditiq;, quam Mumiam vocant. Adduntur nonnulla, inflammationi prohibendæ, parti corroborandæ, sedandis doloribus, conglutinandæq; carni non inepta, vt oleum rosaceum, mel, oleum lini, bolus armenus &c. Tum imperatur,
vt aut

vt aut arma quæ læserunt, si præsto sint, aut tigillum ferramentumve quodcunq; sed tinctum illud prius cruore vulneris, indeq; resiccatum, linimento dicto perungatur, & linteis circumligetur, omniq; studio caueatur, ne quis inhærescat squallor. Quid tum postea? Mandatur vt vulnus non minus quàm ferrum, bis in singulis diebus linteo mundo, & lotio vulnerati hominis imbuto, obligetur. Sic isti.

LXII.

Ecquid huic rei adsit virium expendamus. Mea sic est ratio. Qui ferrum obligat, vt vulnus sanetur, tantundem agit, ac si glaciem, aut quodcunq; corpus frigidum, quod admotam manû frigefecit, integumentis operiat, vt frigefacta manus incalescat. Aut etiam idem videtur esse, ac si veste induas eum, qui alteri detraxit, vt calefiat denudatus. Nihilò *εὐλογώτερον* est, quod cum armis obligatis fit. Cur autem pari ratione non oblitur lapis aliudq; telum, quod illisu contuderit, tumoremq; & liuorem sine vulnere incusserit, vt medela fit? At experientia comprobatur eventum. Vnde igitur ille? Dispiciamus. Aut enim est à *χέσι* & similitudinem obligati ferri ad vulnus obligandum. Atqui in relationibus nulla inest agendi efficacia. Aut vis quædam dimanat à linimento ad vulnus. At non tangunt mutuum. Et si quid linimentum potest, non ferro, sed vulneri iniunctum præstabat, omninoq; ferri iniunctio superuacanea erat. Si dicas vim vnguenti occultè illabi in vulnus: Mirum verò si è quolibet interuallo pertingat, & non ab interuenientibus corporibus inhibeat. Imò verò cum actio medicamenti sit materialis (id enim Theophrastus ipsa iniunctione probat) non potest sine contactu corporeo vim edere. Aut sanatio est ab actione linimenti in ferrum. Hoc verò nec sanari potest nec debet. Aut est ab actione vnguenti in sanguinem ferro illitum. At perinde est. Nam nec hic sanari debet. Aut est à virtute oblitæ ferri in vulnus. Verùm, vt prius, quod nocebat ferrum, corpori admouebatur: ita etiam hoc, quod sanare debet, applicandum fuerit. Aut deniq; summa rerum redit ad ea, quæ vulneri adhibentur. Non nego, si sæpius ac studiosè obligetur vulnus linteis mundis, & extergatur recenti lotio, prohiberi inflammationem, ac puris generationem, ipsumq; vulnus præparari ad consolidationem spontaneam. Verùm si hæc sufficiunt, ludicra & otiosa sunt, quæ fiunt præterea. Quòd si ista non sufficiunt, restat ad superstitionem & impiam opinionem, tum eius qui adhibet, tum eius cui adhibetur,
omne

omne negotium reijciamus. Et testatur quodam scripto Thomas Era-
rastus, se in multis chirurgis periculum fecisse, qui sine superstitione e-
cerint, sed nihil profecerint. LXIII.

Iam quid est, quod quorundam corporibus, aut quibusdam corpo-
rum partibus indita dicitur esse facultas sanandi certos morbos? Vt de
Pyrrho rege Plinius prodidit, tactu pollicis in dextro pede, lienosis
mederi solitum. Non cadit autem ea virtus in corpus cuiusquam, quæ
contactu breui & momentaneo expellat morbos. Tametsi enim
insolitus quidam status oriatur in temperamento, cui facultas eius-
modi deberi iudicetur: tamen nisi longa & assidua illius perduret
actio, quæ causam morbi remoueat, & lentam alterationem mo-
ueat item & promoueat, salus nulla erit. Sed cum magna soleat
vulgi de quibusdam esse opinio, fit, quod alias dixi, vt animi affectus
in ægroto corporis mutationem inferat. Atq; in iis, quæ per naturam
moueri procliuia sunt, si quod vndecunq; initium motus factum sit, nõ
solum continuus fit progressus ad finem, sed etiam concitator decur-
sus, quàm pro actu impellentis. Nam quod scindi facile est, vbi paululũ
aliqua secueris, plus scinditur quàm scindens scindat. Quamobrem cor-
pora sanabilia, & in declinatione morbi constituta, quacunq; ex re ini-
tium & occasionem sanationis adepta fuerint, promptè & expeditè ad
sanationem ipsa ruunt. Quod vel aspectus eius, de quo fiducia erat, vel
exercitium corporis, vel aer, vel victus iritauerit. Hoc illis scilicet acci-
dit, qui, dum laborant, itineri ad reliquias sanctorum se deuouent, aut
loca vel fontes religione sacros adeunt: quibus eo certior obtingit sa-
lus, quod diabolus ad stabiliendam idolatriam nocētia ipse auertat, iu-
uantia aduertat. Huiusmodi ergo sanationes, quæ interno naturæ mo-
tu potissimũ fiunt, dicari consueuerunt ei, quod notũ, quod celebratũ
est, vt homini, vt idolo, vt loco. LXIII.

Illud tandem monuerim, non temerè esse, quod quidam dicuntur
sanari recitatione certorum verborum: vt in hæmorrhagiis fit. Vt n. a-
nodyna mentis, quæ dicuntur, dum animum prostratũ recreant, & spiri-
tus à parte dolente auocatos, aliò traducunt, doloris sensum obliterat:
sic in fluxu sanguinis, recitatis certis verbis, si firma accedat persuasio,
spiritus ad contrarium motũ abripiuntur, & sanguinis eruptio sistitur.
Non est autem vis ea verbis conceptis ascribenda, sed persuasioni è ver-
bis concepræ. LXV.

Ligaturas constrictas, herbas sub lecto repositas ad venerem face-
re fri-

D

re fri-



re frigidos, frigidorū certè oratio est. Multa autē cum possint esse impedimenta coitus, tam è causis rerum non naturalium externis, quàm è causis internis: tūm non rarò contingit, eam esse violentiam amoris, vt spiritibus omnibus ad præcordia concentratis, partibus genitalibus, quas spiritu turgere oportet, nulla suppetat copia.

LXVI.

Feræ naturā parent homini, eumq; plus timent quàm alia: idq; propter ordinem in mundo. Mansuescunt autem escis: domanturq; arte, metu & verberibus, tum etiam detractis armis, in quib. præsidium ponunt. Fugantur terrore, aut odore ingrato, quem sagacissimè percipiunt. Nihil huc obmurmuratæ orationes, nihil figuræ scriptæ.

LXVII.

Quæ adhuc exposita sunt, ortum habent è natura. Amicitia autem & odium voluntate hominum conciliantur: quanquam ad hæc suam quoq; partem natura contribuat. Cum n. natura ducamur ad prosequendum id, quod bonum aut vtile, nobisq; cognatum est: fugiendumq; ex aduerso illa, quæ mala, nobis dissimilia, infauitq; esse possunt: ratio ramen nostra, quæ sint eiusmodi, agnoscit & iudicat, modosq; quibus aut rei iudicatæ se applicet, aut ab eadem se abstrahat. inuenit & parat: tum voluntatem cōsiliū sui administram & executricem suscitatur & adornat. Nec sine his initiis & alimētis benevolentia aut malevolentia vlla succrescit. Quorsum igitur carmina? vincula? alia?

LXVIII.

Ab amicitia aliquantum seiunctus est amor. Vt n. illa mutuo duorum affectu constat: ita hic vnus tantum est. Et amicitia, quæ nunquā est sine benevolentia, hoc est sine bona voluntate, rationi consociatur: amor ad sensum potius attinet. Nascitur ergo amor ex voluptate ea, quæ noticiam rei sequitur: illaq; res amatur, quæ sensu cognita & approbata expetitur. Hinc facile est iudicare, quid tribuendū sit Philtris. Hæc temperiem modò corporis, sed nec subito, nec penitus mutare, & consensione quadam animū afficere ac perturbare, non autem rei ignotæ noticiam, aut certæ definitæq; desiderium suggerere & inculcare possunt: quamuis ægro in animo rei prius notæ & affectatæ phantasma augere, & appetitum inordinate incendere possint.

LXIX.

Hæc igitur, quæ commemoravi, falsò a scribuntur Magis, illorumq; ritibus & diliramentis. Neq; enim quia talia à Magis administrantur,
res

res ipsæ succedunt : sed quia verè iam euenerunt , aut euenturæ sunt }
Dæmonum hortatu talia ab istis peraguntur.

LXX.

Nec fidem facit Magorum asseneratio pertinax: est enim corru-
pti animi & iudicii. Nec etiam fidem addit vulgi opinio, Nam si quid in-
solitum aut notabile incidat, fit plerumq; , vt illius causa à plurimis as-
feratur, non ea quæ ad effectum ipsum quadret, sed quæ suæ cuiusq;
cogitationi alludat.

LXXI.

Superfunt illa, quæ à Magis verè fiunt, vt veneficia oblata, homici-
dia manu perpetrata. Verùm hæc non sunt Magorum propria, sed cum
aliis communia.

LXXII.

Ex omnibus autem iis, quæ huc vsq; exposita sunt, colligamus cau-
sas, ipsumq; τὸ ἄλλο τὸ ἐν ἐκτετακτοῦ magicorū : quod vno eodēq; συλλογισμῶ
fieri nequit. Quorum n. ἐνέργεια ad Magum attinet ipsum, princeps il-
lorum causa effectrix est Diabolus, totius fabulæ & lusus præstigio-
si, quem prædicant Magi, inceptor, actor, perfectior. Causa autem sine
qua non, est permissio & indulgentia Dei, qui desertores sacratissimi
fœderis sui, iustissimo iudicio vicissim deserit, ac diabolo ludifican-
dos & pessundandos relinquit. Instrumentum istarum actionum est
Magus, qui nō aliter ac seruus ad œconomica, sic ipse ludibriorum dia-
bolicorum vsui se offert ac destinat. Hunc verò ad tale ministeriū varia
adduxerint. Aliàs quidem cyclopica ἀθεότης & ἀπειροδαιμονία : vnde
Magia apud barbaros & septentrionales maximo in vsu est. Aliàs vana
curiositas, aut ambitio, aut auaritia : quorum nomine Magia etiā illu-
strib. quibusdam viris exprobratur. Aliàs odium hominum & cupiditas
dandi aliis damnum, vt in vetulis aliisq; , qui in fermento, quod aiunt,
semper iacent. Aliàs animus desperabundus, & diffidentia de cura & su-
sultatione diuina, quibuscum concurrat ferè ἐνθουσιασμός & simplicitas de-
ceptu facilis : hinc melancholici, qui tristes sunt, & mulierculæ quæ im-
prudentes & credulæ sunt, ista in scena frequentissimè introducuntur.
Si qui ergo ita fuerint affecti animo, vt dixi, nimirum illis in tempore se
adiungit Diabolus: & quam quisq; curam aut cupiditatem animo ver-
sat, inflammat: qui cū furor impietatis, hunc ostentis portentisq; adau-
get: quam quis à Deo defectionem parat, blanda vanitate & magnificis
promissis suadet, persuadet : donec ad se pellectos, ad libitum tractet &
exagitet. Hoc regnum est diaboli: his armis & dolis capiuntur, captique
in seruitutem turpem & deploratam sua culpa conijciuntur homines

Propter quid
Magia & quæ sit
ex dicitur.

D 2

miseri



miseri. Cæterum eundem Magum nihil prohibet materiam seu subiectum istarum actionum dicas. Nam cum Dæmon eo utatur suarum machinationum organo: actio tamen ipso in Mago inhæret & subsistit.

LXXIII.

Quæ autem Magica vi aliis in rebus extra Magos ipsos proueniunt, causam per se & primariam habent naturam, quæ etiam sine ope Magica producere eadem potest. In quibusdam verò causa est cognitio & voluntas hominis. Συνοίλιον illis accedit ingenium & violentia Dæmonum, qui suppetias naturæ ferunt: & ut agentia cum patientibus ad palæstram suam actumq; perueniant, efficiunt: impedimenta remouent: contactum prægrauant & ingeminant. Quibus rebus efficitur, ut effectus inopinatus, præcox & valentissimus oriatur. Magi verò de illis cura & cogitatio est omninò causa per accidens. Nihilo n. maiori necessitate euentus in natura succedit cogitatis Magi: quam si mihi de aduentu amici, monitu cuiusdam cogitanti, accidat illū vltro aduentare, & (quod aiunt) lupum in fabula esse. Ipsa verò ἐργασία & apparatus Magi, quæ fit characteribus, carminibus &c. nulla vi, nulloq; ordine, aut lege respicit effectum. Si dicas à Dæmone iussa instituq; esse, neq; ut consentaneum est, frustra: lusus est. Neq; n. ideo mandat, ut per ista agat aut efficax sit, sed ut amenti Mago indubitata opinionem afferat, dum aliquid agit, aliquid se posse & efficere. Sin istes; etiam aliis, qui Magi non sint visitata esse & prodesse: idem petis. Nam nec hi illorum virtute effectum præstant: nec diabolus his utitur instrumentis aut adminiculis. A quocunq; autem profecta sint autore, certum est, ad persuasionem profanā & superstitionem tantum facere: quam vbi inuexit Diabolus, vocatus adest, & quod requiritur, quodq; potest sedulo obit.

LXXIII.

Finis, si quis dicendus est, & non potius τὸ ἔχαλον (βέλελου ἢ πάντων εἶναι τὸ ἔχαλον λέγειν, ἀλλὰ τὸ βέλυσιν:) is ergo finis est extremus interitus, in quem mendacis magistri sui conijcitur Magus. Est etiam apud alios introductio & confirmatio superstitionis, ordinem diuinitus institutum in natura, eoq; ipsum Deum contemnentis. Impri-
mis autem est καυχῆλια Diaboli, opera & miracula diuina arroganter affectantis.

94 A 7363

ULB Halle

3

002 826 550




Sb.

V. 17

Einige in der Sammlung...

visibile voluit ex uirgine sumere: con-
grue debuit corporali specie apparere
formauit autem angelus corpus
sibi lucidum: quod secundum Augustinum facie
rutilans et veste choruscans uir-
gini apparuit. Conuenienter uero
uirgini annuntiatur incarnatio ubi:
ut scilicet prius ipsum incipiat me-
te quam carne. **M**utans ergo
angelus nomen eue. dicit uirgini
aue: indicans eam ab omni uel
beram. **Q**ue bene gratia plena di-
citur: quod alijs ad mensuram gratia
datur: hec autem sola gratia
quam nulla alia meruerunt conse-
cuta est: ut gratie impleretur
auctore. **Q**ue cum gratia plena sit.
prius etiam quam concipiat: post concep-
tionem quantum dei habundat gratia
quous cogitare possit. **U**nus uerum
Et bene plena: quod ceteris per partes
prestatur gratia: maiore uero simul
se totam infudit gratie plenitudo:
uere gratia plena: per quam largo sancti
spiritus umbre perfusa est omnis
creatura. **Q**ue celis dedit gloriam.
terris deum pacemque refudit: fide
gentibus finem uicibus: uite ordinem.
moribus disciplinam. **D**icitur
quous ei dominus tecum. scilicet sit in uen-
tre. qui tecum est in animo: adimpleat
ventrem. qui adimplet mentem.

quod et si tota saluatio angelica sit
uirgini gratissima: ista tamen clarissima
dominus tecum potissime eam delectat
ideo singulari deuotione dicitur de eam
licet enim iam eam in uirgine: non enim
tamen misit nuncium: quod modo singulari uo-
luit esse secum. **H**ec etiam sola pre-
omnibus mulieribus et super omnes mu-
lieres benedicta predicatur. **C**um
mulier subiaceret maledictioni dei
ut legis: nam corrupta subiaceret ma-
ledictioni dei qui ait. **I**n dolo con-
cepit: uirgo maledictioni legis
erat. **M**aledicta sterilis: sed in maiore
utrumque maledictum uitauit: maledic-
tionem dei. quod uirgo promissit: maledic-
tionem legis: quod filium habuit. **U**nde
ipsa primicia uirginum dum primo
uirginitate sua de obtulit maledic-
tionem legis aboleuit: et merito benedicta
dicitur: per quam mundus a maledic-
tione liberatur. **E**t notandum
quod super hac saluationem nunquam ho-
mo uenire ualebit: nec alijs
excellentijs dulcis et gratia beatam
uirginem saluare potit: quia hac sa-
luatione quam ipse deus per dicitur
et per angelum ei destinauit. **I**n
uobis singularis dulcissima implen-
tur misteria. **N**am deus per eam
sua omnipotentia confirmat: ut
esset immunis ab omni uel



24

ἰσαθὲς δαίμων.

DE MAGICIS ACTIONIBVS
ÆTATIS
SVCCINCTA:

SENTENTIAE
IOHANNIS BODINI IVRE-
consulti Galli opposita:

DOCTISSIMO PHILOSOPHAN-
tium confessui In illustri Iulia ad dispu-
tandum publicè

proposita:

à

MARTINO BIERMANNO
Ascaniensi:

Respondente

IOHANNE A PETKVM
Hamburgensi.



HELMSTADII
Excusa per Iacobum Lucium, Anno 1590.